



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque
obeundi**

Dirckinck, Johann

Coloniæ, 1690

§. III. Causæ instituti officii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

§. III.

Causæ instituti officii.

Asignat eas S. Bonaventura in opusculo
 de sex aliis Seraphim. c. 8. Prima est
 Ut Ecclesia militans imitaretur morem
 Triumphantis: in qua Isaias vidit Sera-
 phinos, alterum ad alterum clamasse, San-
 ctus, Sanctus, Sanctus. Cum enim Christus
 realiter sit in Sanctissimo Altaris Sacramen-
 to, equum est, ut sint constituti Ministri
 qui ejus presentia assistant, ejusque laudes de-
 cantent. II. Ut esset perpetua divinorum
 beneficiorum memoria. laus & gratiarum
 actio. Benedicam Dominum in omni tem-
 pore, semper laus ejus in ore meo. Psalmus
 III. Ut orationis exercitium, maxime
 quâ posset frequentia continuaretur,
 quod miseria & necessitates, tam commu-
 nes, quam privatae sint continua. IV.
 plebs, que parum scit, parumque delecta-
 tur hoc exercitio orandi & laudandi
 Deum, ei assuescat, accedens ad Ecclesiam
 constitutis horis. V. Quia id spectat
 Ecclesie Catholice, & Religionis Christi-
 ane decorem: si enim Gentiles conveniebant

in templis ad laudandos & adorandos falsos Deos, multò magis est rationi consensaneum, ut Christiani conveniamus ad laudandum Deum verum. Si etiam Antiqua Legis Fideles, suas quoque in Synagogis congregationes habebant; multò magis iustum est, ut Christiani in Templis conveniant, Deumque laudent. Hec Doctor Seraphicus.

Offerimus autem laudes Deo in die septies, ad obtinenda septem dona spiritus Sancti, adversus septem spiritus nequiores & septem peccata capitalia, & venialia, in qua septies in die cadet justus, precavenda; & deprecanda per septem hebdomada dies ac per septem orationis Dominicae petitiones, aliosque psalmos & hymnos.

§. IV.

Modus psallendi aut recitandi officium.

Rex David Psalm. 46. quinquies repetendo, Psallite: insinuat rectè psallendi modos: Psallite Deo nostro, psallite; psallite Regi nostro, psallite: quoniam omnis terra Deus, psallite sapienter. Itaq.

I. Psal-